

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**D. Gebh. Theodori Meieri Theologi & Prof. in Academia  
Julia Antichiliasmus Absolutissimus**

**Meier, Gebhard Theodor**

**Helmstadii, 1696**

§. XXXI.

**urn:nbn:de:bsz:31-105465**

proprio suo sanguine Christus sibi acquisivit. *Act. xx. 28*  
 Deniq; si dari possunt è posteris Adami homines pec-  
 catis non inquinati, quid opus fuit ut Deus Filium su-  
 um in carnem, imo in mortem acerbissimam e cælo  
 mitteret? Nonne potuissemus nostrum Messiam ex-  
 pectare è posteris nostris chiliasticis? Nonne summus  
 noster Sacerdos ex illis potuisset eligi? Apostolus utiq;  
 in Summo Sacerdote nostro præcipue id saltem requi-  
 rit, ut non egeat priorum peccatorum expiatione,  
 aut pro illis immolare teneatur, sed ut sit sanctus, im-  
 maculatus, purus & a peccatoribus segregatus. Talium  
 autem satis sæcundum erit, stante illa hypothesi, re-  
 gnum Chiliasticum: Quid ergo tum amplius Christo  
 Sacerdote opus? Horrenda & abominanda blasphemia!

*De hisce tellus, tuque tenebrarum potens  
 In Tartara ima, rector umbrarum, rape  
 Hoc virus infernalis, atrum, viperæ.*

XXXI. Assertio duodecima: Hinc ante istam se-  
 culi consummationem, & ultimam mundi de-  
 structionem, nullum dabitur tempus, quo ho-  
 mines morti non erunt obnoxii, aut immunes  
 à potentiâ moriendi in actum deducendâ. Qua  
 thesi non negatur, quosdam homines mortem ipsam  
 temporalem non gustaturos esse, quod acciderit illis, qui  
 in adventu Christi vivi erunt immutandi, idque per  
 accidens, quippe non plus immunitatis a morte illi per  
 se habebunt, quam cæteri homines. Ita & nos, quam-  
 vis mortales simus, & morti nos obnoxios esse negare  
 nequeamus, si tamen nostro tempore ingrueret dies ad-  
 ventus Christi, non essemus morituri. Negatur itaque  
 hoc saltem, quod quidam hominum ita futuri sint im-  
 munes a morte, ut certi sint, se non amplius mori posse  
 se ut

se ut cæteri homines. Patet hujus negationis veritas ex generalibus Scripturæ verbis *Rom. V. 12. 14. 1. Cor. XV. 21. 22*, quod in Adamo omnes moriantur homines, & per illum ac propter peccatum, super omnes homines mors transferit, ubi præter particulam universalem OMNES, etiam hujusmodi latet argumentum:

Quicumque in Adamo peccavit, & in vitâ peccatis inquinatus est, illi necessitas moriendi per se imminet, ita ut quotidie mors illi sit expectanda, cum positâ causâ effectus eam naturaliter subsequens poni debeat:

Tales autem sunt omnes homines, ut evictum est assertione undecimâ. Ergo.

XXXII. Tempus jam est, ut ad iudicium illud vivorum & mortuorum, de quo supra numero IV. dictum est, revertar. Sit itaque de illo Assertio decima tertia: Iudicium vivorum & mortuorum non erit ita instituendum, ut separatim & diverso tempore vivi & mortui iudicentur; sed utrorumque iudicium uno actu habebitur. Thesis hæc illis qui non tantum voces sed & emphasin Scripturæ, pro infallibili principio in rebus fidei assumunt, facile probabitur ex illis locis, ubi simpliciter Christus dicitur iudicaturus esse vivos & mortuos, scilicet *Tim. IV. 1.* & aliis. Siquidem non temere geminum hic licebit fingere iudicium, nisi alia manifesta Scripturæ loca id urgeant. Sed cum hæc Chiliaftis non sufficiant, distinguentibus iudicium vivorum a iudicio mortuorum; Proponimus locum ex *Act. XVII. 30. 31*: *Tempora quidem ignorantia Deus, & ἄβυσσος, connivendo prætermittens, nunc omnibus ubique hominibus annunciat ut pœnitentiam*

E

tiam